

Letter 116: 23 October 1521, [Halle], Albert of Brandenburg to Leo X

This is a draft written by Capito for the archbishop of Mainz. The manuscript is in the Universitätsbibliothek, Basel, Ki.Ar. 25a, 141.

Gratissime etc. Nuper amplissime exposuimus Beatitudini vestrae quantopere cupiamus ut venerabilis D. Hieronymus episcopus Brandenburgensis ab eadem vestra Sanctitate constituatur episcopus Havelburgensis [sic], simul obsecrantes, ut voti nos compotes redderetis propterea quod Illustrissimus Ioachimus Marchio Brandenburgensis Elector<sup>1</sup> etc. amici et consanguinei nostri christianissimi id omnibus viribus efflagitant. Nam sic marchionatus et Brandenburgiorum conditionem expostulare affirmant, neque se alium praeterea aut posse aut velle in eodem loco episcopum sustinere, atque eius rei ad nostram petitionem concedendae summam esse potestatem factam Beatitudini vestrae, ex eo quod de industria duos canonicos capitulares, non admodum procul ab Havelburgo [sic] absentes, vocare neglexerint, idque circumventis a Georgio quodam de Blumental praetense electo, ne quid de aperto dolo videatur dubitandum. Itaque vehementer admiramur quidnam intercesserit, quominus tam aequam vel potius tam necessariam petitionem ferremus, quando hec nunc sit rerum facies, ea natura causae, ut ex re ecclesiae catholicae haud quaquam aliud commode fieri queat, quam quod tanto desyderio tanti principes expectant, idque de tali quoque viro quem novimus quotidie non pessime mereri de ista sancta sede apostolica. Neque est quod quispiam forte suggerat vestrae Beatitudini huiusmodi petitionem aut iuri aut consuetudini aut etiam concordatis cum Germanica natione adversari. Quid enim manifestius quam quod vestrae immineat Beatitudini ei ecclesiae providere, cui capitulum non providerit in tempore, aut cum non observato ordine iuris providerit? Et modo perspicuum est quod duos ex canonicis eosque primores et potiores, alter cum est doctor theologus, alter utriusque iuris professor, contempserint, imo praetensam electionem absolvere festinarint circumventi a praetense electo, quemadmodum, edito nuper instrumento in publicum, amore veritatis inducti de capitulo profitentur. Atque adeo, ut nunc sunt tempora, si quid etiam quomodolibet aut iuri aut concordatis inter nos institutis pugnaret, nihilosecus, ut nunc sunt tempora, videretur nobis illustrissimo Ioachimo electori etc. amico nostro charissimo obsecundandum, qui vix alium, qualisqualis fuerit, feret eo loci episcopum. Neque aliud futurum credit, sicut et nos firmissime tenemus, quam quod utrisque desyderium in re tam facili et aequa Beatitudo vestra levabit etc.

Oratori: Magnifice, etc. Scripsimus iterum Beatitudini pontificis iuxta exemplum his impositum pro venerabili Hieronymo episcopo Brandenburgensi, ut eundem velit decernere etiam episcopum Havelburgensem [sic], iuxta desiderium illustristrissimi Ioachimi Marchionis Brandenburgensis electoris etc. consanguinei et amici nostri. Tuum erit diligenter quod literis nos agimus, verbis iterum atque iterum repetitis, si necesse erit, peragere. Nam nihil morae est, tantum velit Beatitudo eius, et optime potest, nobis in hoc gratificari, quia ex iure et consuetudine ad eam ipsam, neglectis duobus canonicis, qui praecipue vocandi videbantur, potestas devoluta libere providendi ecclesiam cum tali episcopo, qui gratus Brandenburgensium familiae, sacrosanctae sedi apostolicae honori et commodo esse queat, cuiusmodi unus et solus est Brandenburgensis episcopus. Age in hoc sicut optime nosti, et nos tibi confidemus. Datum, etc.

---

<sup>1</sup> Om. et Reverendissimus dominus Moguntinus, which has been added in the margin.